

## **DOMINICA II POST PENTECOSTEN**

### **S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI**

#### **Themata sermonis**

Evangelium in dominica secunda post Pentecosten: *Homo quidam fecit cenam magnam, quod dividitur in tribus clausulis.*

In primis sermo de pugna daemonum et iustorum, ibi: *Congregantes Philisthim.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo ad religiosos, ibi: *Anna lactavit filium suum.*

Item sermo de convivio caelestis gloriae, ibi: *Faciet Dominus exercituum.*

Item sermo ad poenitentes, ibi: *Vocavit Dominus Deus exercituum.*

DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra sollicitudinem temporalium, ibi: *Villam emi*, et ibi: *Arca foederis Domini.*

Item sermo contra libidinem dominandi, ibi: *Saul, necessitate compulsus, etc.*

Item sermo de quinque iugis boum et eorum significatione, ibi: *Iuga boum emi quinque.*

Item sermo de vitiorum infestatione et carnis mortificatione, ibi: *Ascendit Naas Ammonites.*

DE TERTIA CLAUSULA. Sermo contra amatorem mundi, qui, cum a mundo despectus relinquitur, a Christo assumitur, ibi: *Puer aegyptius, servus viri.*

#### **Exordium. De pugna daemonum et iustorum**

1. --- In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: *Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum hora cenae dicere invitatis ut venirent (Lc*

14, 16-17).

Dicitur in primo libro Regum: ***Congregantes Philisthiim agmina sua in proelium, convenerunt in Socho Iudae, et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim. Porro Saul et filii Israel congregati convenerunt in valle Terebinthi et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim (1 Reg 17, 1-2).*** Philisthiim potione cadentes, Socho tabernacula, Iudas confessio, Azeca decipula, Dommim rubra interpretantur. Philisthiim sunt daemones, qui, potione superbiae inebriati, de caelo ceciderunt. Hi, congregantes agmina sua, conveniunt in proelium in Socho Iudae, idest ad proeliandum contra illos qui militant in tabernaculis poenitentiae; et inter Socho et Azeca, quae est in finibus Dommim, castrametantur. Daemones enim ad hoc impugnant viros iustos, ut decipula perversae suggestionis decipiant et, decipientes, in sanguinem peccati perducant.

Unde dicitur in tertio libro Regum quod canes linxerunt sanguinem Achab. Canes sunt daemones, qui lingunt sanguinem Achab, qui interpretatur fraternitas paternitatis, idest illius qui solebat habitare in fraternitate poenitentium, qui unum Deum habent Patrem. Filii vero Israel, idest veri praedicatores, in unitate fidei congregati, debent dirigere aciem mentis et praedicationis ad pugnandum contra daemones. Sed, in quo loco? In valle utique Terebinthi, idest in humilitate crucis, ex qua emanavit praestantissima resina sanguinis Iesu Christi, qui dicit in hodierno Evangelio: ***Homo quidam fecit cenam magnam etc.***

2. --- Nota quod in hoc Evangelio tria notantur. Primum, cenae magnae praeparatio et per servum ad ipsam invitatio, cum praemittitur: ***Homo quidam.*** Secundum, invitatorum excusatio, cum additur: ***Et coeperunt omnes simul excusare.*** Tertium, pauperum,

debilium, caecorum et claudorum ad cenam introductio, cum subiungitur: *Tunc iratus paterfamilias* etc. Istis tribus clausulis aliquas historias primi libri Regum concordabimus.

In hac dominica in introitu missae cantatur: *Factus est Dominus protector meus*, et legitur epistola beati Ioannis: *Nolite mirari si odit vos mundus*, quam volumus dividere in tribus particulis et cum tribus Evangelii clausulis concordare. Prima est: *Nolite mirari*. Secunda: *In hoc cognovimus caritatem Dei*. Tertia: *Qui habuerit substantiam mundi huius*.

## I - De cenae praeparatione et ad ipsam invitatione

3. --- Dicamus ergo: *Homo quidam fecit cenam magnam*. Nota quod duplex est cena: poenitentiae et gloriae. Sed quia sine prima non pervenitur ad secundam, ideo primam praeparemus, et quae cibaria sint necessaria videamus.

Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur, quod *Anna lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactavit, in vitulis tribus et tribus modiis farinae et amphora vini; et adduxit eum ad domum Domini in Silo (1 Reg 1, 23-24)*. Anna, quae interpretatur gratia, Sancti Spiritus gratiam significat, quae duobus uberibus, gratia scilicet praeviente et subsequente, poenitentem lactat, donec eum a lacte concupiscentiae carnalis et mundanae vanitatis omnino amoveat. Nota quod, sicut mater, quae filium suum amovere vult a lacte, mammillam inungit succo amaro, ut dum infans quaerit dulcedinem inveniat amaritudinem, per quam a dulcedine separetur, sic Sancti Spiritus gratia temporalium mammillam amaro tribulationis succo perungit, ut homo dulcedinem istam, amaritudine respersam, abhorreat et veram dulcedinem

perquirat.

Unde subditur: *Et adduxit eum postquam lactavit in, idest cum, tribus vitulis.* Ecce quae cibaria, ad cenam poenitentiae praeparandam, sunt necessaria. Gratia adducit poenitentem cum tribus vitulis, in quibus triplex notatur oblatio, scilicet vitulus cordis contriti et contribulati. Unde in Psalmo: *Imponent super altare tuum vitulos (Ps 50,21).* Super altare, idest cordis contritionem, poenitentes imponunt vitulos, idest sacrificant lascivias et immundas cogitationes.

Item, vitulus confessionis. Unde in fine Osee: *Tollite, inquit, vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum (Os 14, 3).* Verba secum tollit qui, quod audit, adimplere satagit, et sic ad Dominum se convertit. Cui et dicit: *Omnem aufer iniquitatem, quam commisi, et accipe bonum, quod dedisti. Non mihi Domine non mihi, sed nomini tuo da gloriam (Ps 113, 9).* Et sic *vitulos labiorum,* idest confessionem criminis et laudis, reddam tibi.

Item, vitulus corporis, per poenitentiam mortificati. Vitulus et vitula a viridi aetate dicti sunt. Vitulus vel vitula carnem nostram significant, quae in viridi aetate iuventutis per captivae pravae licentiae lasciviens discurrit. De qua dicit Samson in libro Iudicum: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam (Iudic 14, 18).* Samson est spiritus; vitula, caro nostra, in qua si aramus, idest ipsam affligimus, inveniemus propositionem, quae est: *Quid dulcius melle, quid fortius leone* de tribu Iuda? Quid dulcius melle, idest contemplatione; quid fortius leone, idest praedicatore? Ad cuius rugitum omnia animalia debent figere gradum. Quid dulcius melle mansuetudinis? Quid fortius leone severitatis? Bene ergo dicitur: *Et adduxit eum cum tribus*

*vitulis.*

***Et tribus modiis farinae.*** Granum molitur et comminuitur in farinam. Farina aqua commixta solidatur in panem, qui confirmat cor hominis (Cf. Ps 103, 15). In hunc modum granum operis nostri molendum est per discussionem, comminuendum per examinationem, ut ad modum farinae purgetur. Haec autem examinatio debet esse triplex, per tres modios designata. Examinandum enim est genus operis, origo et finis. Et postea opus commiscendum est aquis lacrimarum, ut ploretur pro irriguo inferiori et superiori: aut enim opus offerimus pro redemptione mali operis praeteriti, aut pro desiderio aeterni gaudii, quod in turturibus duobus oblatis in Lege designatur, quorum unus offerebatur pro peccato, alter in holocausto cremabatur (Cf. Lev12, 8). Ex farina ergo et aqua panis compingitur, qui confirmat cor hominis, quia ex opere lacrimis commixto hominis conscientia saginatur.

**Sequitur: *Et amphora vini,*** quae tres habet mensuras. In vino, mentis hilaritas, quae in tribus consistit, scilicet in testimonio bonae conscientiae, in profectu proximi, in spe aeterni gaudii. Cum his omnibus, mater Anna, scilicet Sancti Spiritus gratia, adducit filium suum, virum iustum, ad domum Domini in Silo, quae interpretatur translata, idest in vitam aeternam, in quam sancti de hac mundi peregrinatione sunt translati, in cuius gloriae cena cum beatis angelis epulantur.

4. --- Cena dicitur a communione vescentium, quia antiquitus semel in die, idest sero communiter, comedebant. Cena gloriae aeternae refectionem significat, in qua sancti communiter de Dei visione satiabuntur, quia unus reddetur denarius in vinea laborantibus (Cf. Mt 20, 2). De huius cenae convivio dicit Isaias: ***Faciet Dominus exercituum omnibus populis in***

*mon-te hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae (Is 25, 6).* Ecce quomodo concordat Evangelium cum Isaia. Dominus dicit: *Homo fecit cenam magnam.* Isaias: *Faciet Dominus exercituum* etc. Quod ibi *cena magna*, hic *convivium pinguium* dicitur.

Nota ista quattuor verba: convivium, pinguium, medullatorum et vindemiae defaecatae. In convivio, quod dicitur a multorum victu, omnium sanctorum gloriosa societas; in pinguedine, ipsorum caritas; in medulla, animarum de Dei visione exultatio; in vindemia defaecata corporum glorificatio designatur. In monte ergo hoc, idest caelesti Ierusalem, faciet Dominus exercituum, idest angelorum, convivium pinguium, idest conventum omnium sanctorum, qui caritatis pinguedine erunt saginati, de Dei visione gaudio inextimabili repleti, et corporum glorificatione beati. Tunc vere erit vindemia defaecata. Vindemia, vineae demptio, idest uvarum collectio, dicitur defaecata, idest sine faece vel sordibus purgata. In vindemia generalis resurrectionis erit corporum sanctorum collectio defaecata, idest totius corruptionis et mortalitatis faece purgata et in caelesti apotheca reposita. Bene ergo dicitur: *Homo quidam fecit cenam magnam.*

Nota quod in illa *cena magna* magna cibaria comedemus, illos scilicet fructus quos filii Israel, ut dicitur in libro Numeri, attulerunt de terra promissionis, uvas scilicet et ficus et malogranata (Cf. Num 13, 24). In uva, ex qua exprimitur vinum, significatur gaudium, quod habebunt sancti de visione Verbi Incarnati. Ipsi homines videbunt Deum hominem, cum angeli non videbunt Deum angelum. De quo gaudio dicit Habacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo (Hab 3, 18).*

Item, in ficu, quae a foecunditate dicitur et omnibus

pomis est dulcior, dulcedo, quam sancti de totius Trinitatis visione habebunt, designatur. De qua Propheta: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te (Ps 30, 20). Abscondisti, inquit, ut ferventius quaereretur, quaesita inveniretur, inventa dulciter amaretur, amata aeternaliter possideretur. Et iterum: Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus (1 Cor 2, 9). Non dicit quid paravit, quia illud quod paravit verbis non potest exprimi. Unde Apostolus: Quod oculus non vidit, quia absconditum est; nec auris audivit, quia in quiete est et dici non potest; nec in cor hominis ascendit (1 Cor 2, 9) quia incomprehensibile est.*

Item, in malogranatis triumphantis Ecclesiae unitas et praemiorum diversitas designatur. Malogranata dicuntur eo quod grana habeant intus olentia. Nota quod, sicut in malogranato omnia grana latent sub uno cortice et tamen quaelibet grana habent per se distinctas cellas, sic in vita aeterna omnes sancti habebunt unam gloriam et tamen, secundum proprium laborem, unusquisque magis vel minus recipiet mercedem. Unde Dominus: *In domo Patris mei, ecce cortex; mansiones multae sunt (Io 14, 2), ecce cellae distinctae.*

5. --- Ecce qualia cibaria comedemus in cena magna, de qua dicitur: *Homo quidam fecit cenam magnam. Iste homo est Iesus Christus, Deus et homo, qui fecit cenam magnam, poenitentiae scilicet et gloriae, ad quam multos vocavit, sed multi venire contemnunt. Unde dicit in Parabolis: Vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non erat qui respiceret (Prov 1, 24). Patris Verbum vocavit per se; vocat et per verba aliorum; et renuunt venire. Extendit manum suam in cruce, multa beneficia daturus, et non est qui respiciat. Sed veniet tempus, quando de manu extensa faciet pugnum, cum quo percutiet impie (Cf. Is 58, 4).*

Vocat Dominus ad primam cenam, scilicet poenitentiam. Unde Isaias: *Vocavit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci (Is 22, 12)*. In his quattuor vera poenitentia continetur. In fletu, contritio; in planctu, confessio; in calvitio, temporalium abrenuntiatio; in cingulo sacci satisfactio designatur. Ad hanc cenam vocat Dominus, sed nolunt venire, quia faciunt sibi aliud convivium, de quo subditur: *Ecce gaudium et laetitiam, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum: comedamus et bibamus, cras enim moriemur (Is 22, 13)*.

Item, vocat Dominus ad cenam caelestis gloriae. Unde dicitur in libro Esdrae, quod Cyrus *traduxit vocem in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: Quis est ex vobis de universo populo Dei caeli? Sit Deus illius cum ipso; ascendat in Ierusalem, quae est in Iudaea, et aedificet domum Domini Dei Israel: ipse est Deus qui est in Ierusalem (1 Esdr 1, 1-3)*. Cyrus interpretatur hereditas et significat Iesum Christum qui est hereditas nostra. Unde Propheta: *Hereditas mea praeclara, idest prae aliis sanctis clara, est mihi (Ps 15, 6)*. Hic praecipit omni populo, ut ascendant in Ierusalem caelestem, *quae aedificatur ut civitas (Ps 121, 3)* de lapidibus politis, idest animabus iustis. Sed iste populus dicit in Aggaeo propheta: *Nondum venit tempus Domini domus aedificandae (Ag 1, 2)*.

Dominus, cuius misericordiae non est numerus, non tantum vocat per se, sed etiam per ordinem praedicatorum, de quo sequitur: *Et misit servum suum hora cenae dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia (Lc 14, 17)*. Dicit ibi GLOSSA: Hora cenae finis saeculi. Unde Apostolus ad Corinthios: *Nos sumus in quos fines saeculorum devenerunt (1 Cor 10, 11)*.



In hoc fine mittitur servus, idest ordo praedicatorum, ad invitatos per legem et prophetas, ut repulso fastidio, ad gustandam cenam se praeparent, quia iam omnia parata sunt. Christo enim immolato, introitus regni patet. Regni apertio est Christi Passio, per quam Ecclesia vel vir iustus, in primam cenam ingressus et in secundam ingressurus, dicit in introitu hodiernae missae: *Factus est Dominus protector meus; et deduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me (Ps 17, 19-20)*. Dominus factus est, extensis brachiis in cruce, protector meus in sua Passione; eduxit me in latitudinem in Sancti Spiritus missione; salvum me fecit in inimicorum infestatione, quoniam voluit me ingredi ad cenam vitae aeternae.

Huic primae clausulae Evangelii concordat prima particula hodiernae epistolae, in qua loquitur beatus Ioannes commensalibus cenae vitae aeternae: *Nolite, inquit, mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres (1 Io 3, 13-14)*. Mundus, idest mundi amatores odiunt aeternae vitae cives. Nec mirum, quia odiunt se ipsos. Et qui sibi nequam est, quomodo aliis bonus potest esse? Unde habes concordantiam in primo libro Regum: *Factus est Saul inimicus David cunctis diebus. Non rectis oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps (1 Reg 18, 29.9)*. Nolite ergo mirari si odit vos mundus. Nos scimus quia translati sumus de morte peccati ad vitam et cenam poenitentiae, quoniam diligimus fratres. Fratrum dilectio est ad cenam vitae aeternae introductio.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut ad cenam poenitentiae nos introducat et de ipsa ad cenam caelestis gloriae nos transferat. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

## II - De invitatorum excusatione

6. --- Sequitur secundum. *Et coeperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam; rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Et reversus servus nuntiavit haec domino suo (Lc 14, 18-21).* Nota ista tria: villam, quinque iuga boum et uxorem.

Villa, a vallo, idest aggere terrae vel fossa dicta, est amor dominandi, de quo dicit beatus BERNARDUS: Non ignem, non gladium sic timeo, sicut libidinem dominandi, qua qui ardent, stipati quasi vallo divitiarum et honorum incedunt. Haec est illa villa Gethsemani, in qua Dominus fuit traditus et ligatus. Gethsemani interpretatur vallis pinguium. Ad vallem decurrunt stercora, quibus impinguatur. In villa ergo Gethsemani, idest in illis qui aliis praeesse et non prodesse cupiunt, qui in valle, idest carnis voluptate, requiescunt, stercorebus temporalium tamquam porci impinguati, traditur Iesus Christus, idest destruitur fides Iesu Christi. Fides enim temporalia abicit, dominari non appetit, subesse cupit, contumeliis crescit. Haec villa Gethsemani emitur, quae utinam nec gratis haberetur, quia compellit exire ab intrinseca Dei contemplatione ad exteriorem sollicitudinem.

Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod arca foederis Domini exercituum, sedentis super cherubim, venit in castra, quae capta est a Philistiim. Arca est vir contemplativus in quo est manna suavitatis, tabulae utriusque legis, virga correctionis. Hic dicitur arca foederis Domini, cum quo foedus iniit, ut ei serviret in perpetuum, qui sedet super cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiae, idest super illam animam, quae caritate repletur. Plenitudo enim legis

caritas. Haec arca, peccatis exigentibus, ab abscondito faciei Dei, a sanctis sanctorum egreditur in castra, villam emit, praeesse cupit. Dum sic elevatur, a daemonibus capitur et in Azotum, quae interpretatur incendium, idest concupiscentiae carnalis ardorem, ducitur. Dicit ergo: *Villam emi.*

1. --- *Et necesse habeo exire et videre illam.* Nota ista verba: necesse habeo, exire et videre. Qui villam dominationis terrenae sibi acquirit, necessitas sibi incumbit; qui, cum liber esset, se miserabili servitute servum fecit. Sic Saul, ut dicitur in primo libro Regum, necessitate compulsus, descendit ad pythonissam, quae erat in Endor; unde et dixit: *Coarctor nimis. Siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me et exaudire me noluit (1 Reg 28, 15).*

Villa et pythonissa idem significant. Endor interpretatur fons generationis, per quem intelligimus Adam, qui fuit fons et origo humanae generationis, qui, dato paradisi pretio in suae animae dispendio, villam dominandi emere voluit, cum falso audivit: *Eritis sicut dii (Gen 3, 5).* Unde illi qui dominationem quaerunt, secundum veterem et non secundum novum hominem, Iesum Christum, ambulant; qui, ut dicit Ioannes, cum cognovisset quia venturi erant homines, ut raperent eum et facerent regem, fugit in montem. Pythonem quidam tradunt esse artem suscitandi mortuos, a quo mulier, illam artem sciens, pythonissa nuncupatur. Heu! quantos religiosos, mundo mortuos, in claustris sepultos, a somno contemplationis, quietis et pacis, haec pythonissa, idest amor dominandi, suscitavit et in publicum eduxit. Unde dicit Isaias: *Humiliaberis, de terra loqueris; et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit (Is 29, 4).*

Ecce quid villam ementi et pythonissam consulenti et

de quietis sepulcro egredienti eveniat: *Humiliaberis*, idest deicieris, dum credis ascendere; *de terra*, idest terrenis, *loqueris*, qui prius loqui consueveras de caelestibus; *et de humo*, idest ventre et gula, cibis et potibus humida, *audietur eloquium tuum*, qui prius de mentis dulcedine et abstinence gulae eloquium ignitum solebas emittere; *et erit quasi pythonis de terra*, idest praelatura, *vox tua*, quae prius solebat esse de abiectioe et humilitate; *et de humo mussitabit eloquium tuum*, idest murmurabit, qui prius in silentio et spe fortitudinem tuam collocaveras. Ecce quanta necessitas et quanta perversitas. Dicit ergo: *Villam emi; necesse habeo.*

Sequitur: *Exire*. De hoc habes in Genesi quod egressus est Esau vir agricola ad venationem, et Iacob, vir simplex, manens in mentis habitaculo, illi subripuit benedictionem. Cum enim quis per amorem rerum temporalium ad venandum villam, ad consulendum pythonissam, a mentis quiete egreditur, ei procul dubio benedictio aeterna subripitur. *Necesse*, inquit, *habeo exire et videre illam*, quasi diceret: ut semel videam, priusquam moriar. Hic est unicus fructus divitiarum. Unde in Ecclesiaste: *Ubi opes sunt multae, multi sunt qui comedunt eas; et quid prodest possessori, nisi quod cernit eas oculis suis? (Eccle 5, 10).*

Ecce aperte habes, quod qui villam terrenae dominationis emit ad cenam Domini non venit, sed, falsam praetendens excusationem, dicit: *Rogo te, habe me excusatum*. Humilitas sonat in voce, cum dicit: *Rogo*, et superbia est in affectione, cum venire contemnit. Sic frequenter dicitur ad virum iustum: Ora pro me, quia homo peccator sum, in quo sonat humilitas, dum requiritur oratio, et manet superbia, dum non receditur a peccato. De hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dixit Saul ad Samuelem: *Nunc, quaeso, porta peccatum*

*meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum (1 Reg 15, 25).*

8. --- *Et alter dixit: Iuga boum emi quinque* etc. Nota quod per quinque iuga boum quinque sensus corporis intelligimus. Sicut enim boves in iugo combinantur, ita duo instrumenta sensus nobis serviunt. Duae enim sunt aures, duo oculi, duae nares; in gustu etiam duo instrumenta, lingua et palatum; in tactu duae manus. Hi sunt decem principes, de quibus dicit Salomon in Ecclesiaste: *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis (Eccle 7, 20)*. Sapientia, dicta a sapore est amor et contemplatio Dei, qui confortat sapientem, idest animam, quae amoris saporem degustat, super decem principes civitatis, idest super omnem delectationem decem sensuum corporis. Illa enim vere satiat, ista totum evacuat. Illa indulcat, ista amaricat. Qui illi servit, liber est; qui isti, miser est. Iuga ergo boum emit qui infelici commercio, sapore amoris divini contempto, se quinque sensuum infelici delectationi subicit, miserabili servitute.

Utinam tolleret homo super se iugum Domini, quod suave est, et non iugum diaboli, quod asperum est, de quo dicit Isaias: *Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian (Is 9, 4)*. Ecce quomodo concordat Isaias cum Evangelio. Quod Evangelium dicit *villam*, hoc Isaias *virgam*, et quod dicit *iuga boum*, hoc iste *iugum oneris*, et quod *uxorem*, hoc iste *sceptrum*. Sicut Gedeon, qui interpretatur circuiens in utero, superavit, ut dicitur in libro Iudicum, Madian cum trecentis et cum tubis et cum lampadibus (Cf. Iudic 7, 15-16), sic poenitens, qui debet circuire in utero, idest mentis contritione, quid commisit et quid omisit, cum trecentis, idest fide sanctae Trinitatis cum tubis confessionis et lampadibus dignae satisfactionis, debet superare iugum oneris diaboli, idest

delectationem quinque sensuum, qua diabolus onerat animam, et virgam humeri eius, idest cupiditatem dominandi, qua diabolus pungit hominem, sicut rusticus virga asinum suum; et sceptrum exactoris eius, idest carnis petulantiam, quae in duobus consistit, gula scilicet et luxuria. Sceptrum dominans est luxuria, quae omnibus fere principatur. Exactor, gula, quae quotidie usuram voluptatis sub specie necessitatis appetit.

9. --- Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod *ascendit Naas Ammonites et pugnare coepit contra labes Galaad; dixeruntque viri labes ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi. Respondit ad eos Naas: In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium omnibus gentibus in universo populo Israel (1 Reg 11, 1-2). Ubi et subditur: Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba haec; et iratus est furor eius nitnis. Et assumens utrumque bovem concidit in frusta (1 Reg 11, 6-7).*

Naas interpretatur serpens, quod bene convenit diabolo, qui in serpente primos parentes decepit. Ammonites interpretatur populus moeroris, vel comprimens vel coangustans. Naas ergo est rex Ammonitarum, quia antiquus serpens, qui et satanas, princeps est malignorum, qui sunt in moerore tristitiae, quae, secundum Apostolum, mortem operatur (Cf. 2 Cor 7, 10). Hi comprimunt et coangustant vitam sanctorum. Unde Ecclesiasticus: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio iusto (Cf. Prov 27, 17.21). Impius vivit pio, idest ad utilitatem pii, quia contubernia malorum frixoria sunt iustorum. Naas ergo pugnat contra labes Galaad. labes interpretatur exsiccata, Galaad acervus testimonii. Haec est anima, quae prius a vitiis debet exsiccari et postmodum dominicae Passionis testimoniis repleti. Naas ergo

pugnat contra viros labes Galaad, ut eis oculos dextros eruat, sciens quod, illo eruto, unusquisque ad bellum minus utilis existat. Oculus dexter est visus discretionis, quem nititur diabolus eruere et sinistrum amoris mundani relinquere, sciens quod qui aeterna non desiderat terrenam prosperitatem amat: si per terrena tenetur, de facili bello cedit.

Qui animam suam ab obsidione et infestatione diaboli voluerit liberari, necesse est quod faciat quod sequitur: *Et insiluit spiritus Domini in Saul* etc. Saul interpretatur inunctus, qui in sui regni principio, quo hanc civitatem liberavit, bonus fuit, et ideo significat virum iustum gratia Dei inunctum, in quem cum spiritus Domini, idest contritio cordis insilit, tunc peccatis suis praeteritis irascitur, et sic utrumque bovem in frustra concidit. Uterque bos sunt duo oculi; uterque bos sunt duae aures, et sic de ceteris. Utrumque bovem in frustra concidit qui oculos, quibus illicita concupivit, lacrimis conterit. Utrumque bovem concidit qui duas aures, ne de cetero audiant detractionem vel adulationem, spinis sepiat, et sic de ceteris sensibus, ut quot habuerit in se oblectamenta, tot de se inveniat holocausta.

10. --- Et alius dixit: *Uxorem duxi* etc. Multos non matrimonium sed abusus matrimonii abducit et retrahit a cena Domini. Nam non propter prolis foecunditatem, sed propter carnis desideria contrahunt matrimonia. Unde notandum quod tribus pro causis uxor debet duci. Prima causa, pro prole procreanda. Unde in Genesi: *Crescite et multiplicamini (Gen 1, 28)*. Secunda causa, adiutorii. Unde ibi: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi (Gen 2, 18)*. Tertia causa, incontinentiae. Unde Apostolus: Si quis est non continens, nubat, tantum in Domino. Qui alia de causa praeter istas duxerit uxorem, vae illi. Praeterea, licet bonum sit in se matrimonium, multum tamen portat secum periculum.

Unde Apostolus ad Corinthios prima: *Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est (1 Cor 7, 33)*, ad duplicem sollicitudinem, scilicet Dei et uxoris. Difficile est sic inter medium incedere, ut sic sit divisus inter duo, ut non separetur ab altero. Unde dicitur in primo libro Regum, quod *duae uxores David captivae ductae fuerunt, et contristatus est David valde (1 Reg 30, 5.6)*. Si uxores non habuisset, in tantum procul dubio contristatus non fuisset.

Nota quod in hoc loco per uxorem carnis luxuria intelligitur, quam non emisse, sed duxisse dicitur; quoniam unusquisque peccator peccatum carnale ab exordio suae nativitatis secum traduxit.

Sed quaeritur, cur duo praemissi rogaverunt se haberi excusatos, tertius vero minime? Ad quod dicendum, quod voluptas carnis ita detinet hominem in deliciis, quod ad delicias aeternas venire non desiderat, nec excusari curat; et per hoc patet quod Deum non diligit, qui, precibus patrum Veteris Testamenti ad desponsandam sibi naturam humanam invitatus, benigne descendit ad nuptias.

Unde huic secundae Evangelii clausulae concordat secunda particula epistolae: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animam ponere (1 Jo 3, 16)*. Nota quod hic beatus Ioannes tria tangit, scilicet Deum, nos et fratres. Qui Deum diligit, villam dominationis non emit. Qui animam suam diligit, iuga quinque sensuum reprimit. Qui proximum, pro quo tenetur animam ponere, diligit, uxorem luxuriae, qua ipsum scandalizat et offendit, omnino non ducit.

Rogamus ergo, Domine Iesu, ut villam totius dominationis nobis auferas, delectationes quinque



sensuum reprimas, et sine uxore maledictae concupiscentiae nos esse facias, quatenus ad cenam tuam liberi venire valeamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

### **III - De introductione ad cenam eorum qui a mundo despiciuntur**

11. --- Sequitur tertium. *Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc (Lc 14, 21).* Tribus primis recusantibus venire ad cenam Domini, servus mittitur, ut introducat pauperes, debiles, caecos et claudos. Raro enim delinquent, quibus peccandi illecebrae desunt; et citius convertuntur ad gratiam, qui non habent in mundo unde delectentur. Unde felix est miseria, quae ducit ad meliora, et felix nigredo, quae candorem parit. Destituti enim a mundanarum rerum abundantia ut pauperes, a corporis sanitate ut debiles, caeci et claudi, quibus peccandi deest illecebra, facilius introducuntur ad cenam Domini.

Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod puer aegyptius, servus viri amalecitarum, contemptus est a domino suo et dimissus, quia aegrotare coepit; quem David invenit et pavit, et ducem itineris sui fecit (Cf. 1 Reg 30, 11-15). Puer aegyptius est amator huius saeculi, opertus nigredine peccatorum, qui, quia cum mundo corrente in mundanis operibus currere non potest, a mundo despectus et infirmus relinquitur. Quem Christus invenit, quia, quos mundus despectos deserit, ipse in amorem suum convertit et cibo verbi Dei pascit et ducem itineris sui facit, quia quandoque talem in praedicatorem assumit.

Et nota quod istos quattuor non sine causa specialiter nominavit, scilicet pauperes, debiles, caecos

et claudos. Pauper dictus, parum imperans, vel parum habens. Debilis dictus, quod per bilem factus sit fragilis; bilis enim humor est fellis, afficiens corpus. Unde debilitas et debilitare, idest debilem reddere. Caecus dictus, quod careat visu, qui utroque oculo non videt. Claudus dictus, quasi clausus in eundo.

Per istos quattuor genera hominum designantur qui quattuor vitiis, idest avaritia, ira, luxuria, superbia sunt irretiti. Avarus est pauper, qui non sibi sed ipsa pecunia imperat; non possessor sed possessus; qui, eum multa habeat, parum se credit habere. Unde PHILOSOPHUS: Cui sua non videntur amplissima, et si totius mundi dominus sit, miser est. Idem: Non puto pauperem, cui quantulumcumque superest, sat est. Debilis est iracundus, qui, fellis amaritudine respersus, accenditur ad iram, quam, cum habet, iustitiam Dei operari non potest (Cf. Iac 1, 20). De quo Iob: *Virum stultum interficit iracundia (Iob 5, 2)*. Luxuriosus est caecus, qui visu gratiae caret, utroque oculo, idest ratione et intellectu, privatus. Superbus est claudus, qui rectis gressibus per viam humilitatis non potest incedere. De his et similibus vitiis dicit PHILOSOPHUS: Fugienda est omnibus modis et scindenda igni et ferro totoque artificio separanda, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, seditio a civitate et ab homine discordia. Istos quattuor peccatores in plateis, idest carnis voluptate, et vicis, idest mundi vanitate, detentos misericors Dominus, per praedicatorem sanctae Ecclesiae, vocat ad cenam caelestis patriae.

Nota etiam quod tertio dicitur servo: *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea etc.* (Lc 14, 23). Per istos qui compelluntur intrare significantur illi, qui per flagella et adversitates compelluntur intrare ad cenam Domini. Unde in Osee dicit Dominus: *Ecce ego sepiam vias tuas spinis, et sepiam eas maceria, et*

*semitas suas non inveniet; et sequetur amatores suos et non apprehendet eos, et quaeret eos et non inveniet, et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene tunc mihi erat magis quam nunc (Os 2, 6-7).* Anima peccatricis vias, idest actiones pravas, per quas sequitur amatores suos, idest daemones, Dominus sepe adversitatis et maceria infirmitatis claudit, ut ad ipsum priorem virum se convertat; cuius amoris dulcedinem experta, tunc, cum eius perfruebatur contemplatione, melius et longe melius dicit sibi fuisse quam nunc, cum miserae carnis abutitur voluptate.

12. --- Huic tertiae clausulae, in qua de pauperibus agitur, concordat tertia particula epistolae: *Qui habuerit substantiam mundi huius, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clausit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate (1 Io 3, 17-18).* Dicit Dominus in Luca: *Verumtamen quod superest date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis (Lc 11, 41).* Ibi dicit GLOSSA: Quod necessario victui et vestimento superest, date pauperibus. Qui ergo habuerit substantiam mundi, ex qua, victus et vestitus retenta necessitate, quod superest, si viderit fratrem suum, pro quo Christus mortuus est, necessitatem habere, debet ei dare. Et si non dat et viscera sua claudit a fratre paupere, dico quod peccat mortaliter, quia caritas Dei non est in illo; in quo si esset, utique pauperi fratri libenter daret. Vae ergo illis, qui cellaria vino et grano habent plena et duo vel tria vestium paria, et pauperes Christi ventre vacuo, corpore nudo ad ipsorum clamant ostia; quibus, si vix aliquid datur, parum datur, et non de meliori sed de deteriori. Veniet, veniet hora, quando et ipsi clamabunt, stantes foris ad ianuam: Domine, Domine, aperi nobis, et audient, qui audire noluerunt: Amen, amen dico vobis nescio vos. Ite, maledicti, in ignem aeternum (Cf. Mt 25, 41). *Qui obturat aurem suam, dicit Salomon,*

***ne audiat vocem pauperis, ipse clamabit et non exaudietur (Prov 21, 13).***

**Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut qui nos vocavit ista praedicatione, vocare nos dignetur suae gratiae inspiratione ad cenam caelestis gloriae, in qua satiati contemplabimur quam suavis sit Dominus (Cf. Ps 33, 9). Cuius suavitatis nos faciat participes trinus et unus Deus, benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis fidelis anima, ad istam cenam ihntroducta: Amen. Alleluia.**